



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

26. S. Sylvester Abbas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

XXVI. Novembris. S. Sylvestri Abb. 663

ter & Ave cum oratione de hujus Festo
recitemus, nectendō Sapientis suspirium:
Domihi, Domine! sedium tuarum affi-
stricem sapientiam, ut mecum sit, & me-
cum laboret; & sciam, quid acceptum
sit coram te. Sap. 9.

Festum S. Sylvestri Abbatis, &
novae Congregationis Fundatoris
zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

AD conspectum emortui cadaveris
rotus immutatur Sylvester, & de-
sertis omnibus, in solitudinem properat.
O quid non potest seria mortis memo-
ria? Unicum temporis momentum,
quod nobis pandet æternitas, utinam.
omnes totius vitæ exhauriat cogitatus, &
curas! Quot non hodie festa celebrant
jocalia, cras futuri funera! Fili! quid si
& nos?

Instructio meritoria.

Mori non timet, qui dolenda non egit.
Cœmeterium visitemus, & pro requie
defunctorum, atque expeditâ nostrum
ad mortem dispositione frequenter ore-
mus

664 XXVI. Novembris. S. Sylvestri Abb.
mus Vesperas ex officio defunctorum.
Inspiciamus tumulos, & aliter vivamus!
II.

BRuta obediunt homini : Et cur ho-
mo resistat Deo ? S. Sylvester lu-
pum pro custode habuit cellæ suæ, ad
natus tam promptum , ut vinceret ho-
minem. Erubescat hîc superba', con-
tumax , elata voluntas ! Fili mi ! omnis
inquietudinis nostræ cardo est , vel quia
sumus, quod non volumus , vel quia vo-
lumus, quod non sumus. Clariùs dicam:
deest, quod cupimus ; adest, quod odi-
mus. Hæc causa dolendi. Nil tutius , nil
securius, quàm optare,nobis imperari ab
aliis , & imperantibus ex animo obtem-
perare.

Instructio meritoria.

Exerceamus aliquot abnegationis actus
circa ea, quæ vel quoad recreaciones, vel
alia corporis commoda hodie possent
contingere ; recitemus quoque Psal-
mum : *Nonne Deo subjecta erit anima
mea?* Nostra agenda sunt cum Christo
Jesu, qui de seipso : non veni facere vo-
luntatem meam, sed ejus , qui misit me.

III. A



III.

A Malo dæmone præcipitatur Vir Domini de loco sublimi. Sanitatem undique desperatam quis dedit? Maria, quam intimè dilexit, & coluit. O igitur felices, qui sub tantæ Matris vivunt præsidio! De hoc quid nobis Richardus à S. Laur. *Justitia Filii*, ait, & *Misericordia Matris altercari videntur*. Nam cùm *Justitia Filii* dicit: *ego occidam, & percutiam*: *Misericordia Matris respondet: ego vivere faciam, & sanabo*. Grande solatium pro Filiis Eva!

Instructio meritoria.

Quoties transibimus imagines Beatisimæ Virginis Mariæ, ore, & corde clamemus: *Ave Maris stella, Dei Mater alma &c.* Ad Mariam enim respiciunt (sententia est Hugonis Card.) & qui habitant in cælis, & qui degunt in purgatorio, & qui vivunt in hoc mundo. Primi, ut resarciantur; secundi, ut eripiantur; tertii, ut liberentur.

Festum